

Irena Vrkljan:

Epistola

Hiems, amici, veniet
et sine calore ero,
sine voce, arbor caeca,
non, sed electrum in collo tuo, o amate,
in subucula tua, o mi dulcis,
avis muta,
erimus soli
ut aegroti
in hoc candore argenti,
quod levi passu amantium
in res incidit
non ut pulvis
non ut nox
quae nos dividit
instar vitri lactei
facti tumultuanter
detersi impatienter
ut nives
quae cubiculum meum obruent
hic in coma aedium,
at odores
quibus muros obvolvi
propter expectationem decolorabuntur
non ut charta
non ut aestus usu detrita
quae nos inquietos non tepefactos
obviam raucis mittit tenebris
factis ex amaris lanuginibus,
obviam huic tranquillitati
quae in me usque ad cor crescit
usque ad oblivionem
Iter usque ad vos diuturnum erit,
vero, amici,
nam hiems accedit.

*

Zagreb.

Vertit: T. Smerdel.